runt:non que iesu christi. Ideo lugebit terra cum populis.

¶ De quinqȝ precipuis virtutibꝰ sancti ambrosij:et quibꝰ colligit q̄ztum fuerit in sanctitate ꝑfectus. ¶ Capitulū.ij.

Secundū mysteriū ꝯtemplandū de sanctitate beati ambrosij dicit virtuose ꝑfectionis. Nā preter ea q̄ dicta sunt in quinqȝ p̄cipuis virtutibus ꝑfectus fuit.

Primo in liberalitate.
Scd̄o in rigiditate.
Tercio in magnanimitate.
Quarto in charitate.
Quinto in veritate.

¶ Primo beatus ambrosius fuit ꝑfectus in liberalitate. quia oīa q̄ habebat pauperum erant:q̄bꝰ liberalissime subueniebat. Et h̄ vtiqȝ episcopo cōuenit qui pater esse debet pauperū. Unde Hieronymus.xij.q.ij.c.gloria. inquit:gloria episcopi est pauperū opibꝰ prouidere:ignominia sacerdotis ꝓprijs studere diuitijs. Ideo dicebat ambrosiꝰ.xxiij.q.viij in ca.superius allegato.conuenior. Omnia que mea sunt pauperū sunt. Et cū suo tēpore radicē omnium maloꝝ auariciā magis ac magis in hominibꝰ increscere vidisset.maxie in his qui erant in potestate cōstituti. apud quos precio omnia vēdebantur necnō etiaȝ in his qui erāt sacris mysterijs deputati vehemēter ingemuit: et se de huiꝰ seculi erūna liberari instantiꝰ orauit. ¶ Secūdo beatus ambrosius fuit ꝑfectus in rigiditate. Nā sicut cato vticensis. vt refert. Salustius in catilinario. Uicia hominū rigide expugnabat et cōdēnabat. Ita et ambrosius. Nā et theodosiū imꝑatorē de crudelitate occisoꝝ innocentum dure redarguit:ab īgressu ecclesie suspendit:et publicā penitentiā eidē iniunxit: prout ponitur in historia tripꝑtita.z.xi.q.iij. c.cum apud thessolonicā.et ego idem diffusius scripsi in sermone de diuino cultu. ī tractatu de timore iudicioꝝ dei. ¶ Tercio beatus ambrosius fuit ꝑfectus in magnanimitate. Nō enī formidabat ꝑicula neqȝ mortē pro defensione fidei z ecclesiastice libertatis. Un̄ dicit in historia ecclesiastica. Ex iustina mater valentiniani imperatoris arriane heresis alumna:ꝯturbare cepit ecclesie statum cōminari sacerdotibꝰ depulsiones z exilia:nisi ariminensis cōsilij decreta reuocarēt. Quo bello ecclesie murū et turrim validissimā pulsabat ambrosiū: qui in omnibꝰ imperterritus mansit. Adhuc vt dicit in sepiꝰ allegato ca. cōuenior. Cū imperator valentinianꝰ quandam basilicā vsurpare vellet Ambrosius sic respondit. Noli grauare te imperator vt putas te in ea que dei sunt imperiale ius vllum habere. Tributū cesaris est:nō negetur. Ecclesia dei est:cesari vtiqȝ nō donet Et dum p̄positus valentiniani dixisset ambrosio. Tu cōtemnis valentinianū:caput tibi tollo. Respondit. deus ꝑmittat tibi vt facias qd̄ minaris atqȝ vtinā deus auertat milites ab ecclesia.et in me oīa tela sua ꝯuertant.et sanguine meo sitim suā expleant. In eius vero p̄fatione sic de eo cantat. Tanta ambrosiū virtute solidasti cōstantie tanto munere celitus decorasti vt ꝑ eiꝰ exclusa torquerent demonia arrianoꝝ impietas ꝓpulsa tabesceret. ac secularīū principum colla tuo iugo subacta redderentur humilima. ¶ Quarto beatus ambrosius ꝑfectus fuit in charitate. ꝑ dei quippe amore et ꝓximoꝝ salute sepissime clero z populo predicabat. Id facere debēt p̄lati. vt dicit in ca. inter cetera. de officio iudicis ordinarij. Hoc exercitio vsus ē xp̄s. Istud insuper docuit apostolos exercere. Inquit enī Lucas de xp̄o. viij.ca. Iter faciebat ꝑ ciuitates et castella p̄dicans z euangelizans regnū dei. Et post resurrectionē die qua gloriosus celum cōscendit. dixit ap̄lis Marci vlti.ca. Euntes in mundū vniuersum p̄dicate euangelium omni creature. predicatio enī diuini verbi lux est humanarū mentiū. iuxta illud p̄s. Lucerna pedibꝰ meis verbū tuū:et lumē semitis meis. Et iterū. declaratio inquit sermonum tuoꝝ illuminat et intellectū dat paruulis. Et ne multa loquamur cum cessabūt in ecclesia dei voces predicantiū extinguetur in populis lux veritatis et bonorū morum. Rogate o fideles christicole rogate dominū messis:vt mittat operarios in vineā suā:messis quidē multa operarij autē pauci. Nescio quid futura pariet dies:veruntū timeo satis et valde pertimesco:ne ꝓpter ingratitudinē et obstinationē christianoꝝ fiet silentiū in terra. Fuerunt siquidē diebus meis in italia ex oībus ordinibus religiosorū et p̄cipue ex ordine minorū multi eruditissimi p̄dicatores quorū sonus exiuit in oībus finibꝰ eius. Predicauit ille dux verbi sanctus bernardinus predicauerūt et alij stilū eius imitantes in oībus italie ciuitatibus. Et tū nunqȝ mundus fuit ita positꝰ in maligno sicut est hodie. O pijssime deus:o benignissime pater:o creator celi et terre:et vniuerse cōditor creature. Ne reminiscaris delicta mea vel xpianoꝝ delinquentiū:neqȝ vindictā sumas de peccatis nostris. Sed cum reuerentia ad vos p̄latos dignissimos clamito:non relinquatis gregem



TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-iv-521/0337
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG